






1596. 6

16



ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPUTATIONVM PHYSIO-
LOGICARVM SEPTIMA.

DE ANIMA EIVS-
QVE FACVLTATIBVS.

Quam

D. D. E. A. I.

Præfide

CLARISSIMO ET DOCTIS-
SIMO VIRO, DN. CORNELIO
BOKELIO, Philosophiæ &
Medicinæ Doctore:

tuebitur

IOHANNES PAPIVS Hamburgens.

*In illustri Iulia 12. Calend. Ianuarij hora &
loco consuetis.*

HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Ann. 96.





DE ANIMA, EIVSQVE
FACULTATIBVS.

Thesis prima.



Vo sunt hominem constituentia, corpus & anima: corporis totam fabricationem prioribus sex disputationibus absoluiimus: restat, vt de altera parte, quæ, etsi Medicinæ subiectum propriè non sit; tamen, cum absque huius consideratione, ipsa corporis tum cognitio tum curatio minimè fieri possit, aliquid etiam agamus.

II.

In animæ essentia Philosophi definienda ambigui hærent & incerti: tamen à plerisq; esse actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis dicitur.

III.

Hanc definitionem Medici, cum vera eius essentiæ cognitio ad ipsos propriè non spectet, à physicis probatam accipiunt.

IV.

Solas enim operationes, ceu maximas in curando indicationes, singulas ex singulis ipsarum facultatibus ortas considerant.

V.

Est autem facultas actionum, quas quæque res edit proxima & efficiens causa.

VI.

Harum tres vulgò constituuntur species, quæ modò ipsa animæ essentia, modo eius partes dicuntur, scilicet naturalis, vitalis & animalis.

VII.

Naturalium alia sunt ministrata seu principes, alia ministrantes.

VIII.

Principes seu ministrata dicuntur, quæ non nisi ad suas actiones perficiendas aliarum adminiculo vtuntur: vt sunt generatrix, auatrix, & nutrix.

IX.

Ministrantes dicuntur, quæ, etsi per se proprias edunt actiones; aliarum tamen facultatum, in primis principum ministerio maximè sunt dicata: vt sunt attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix.

X.

Ministratarum facultatum prima est generatrix, quæ substantiam immutat, nouamque conformat.

XI.

Hinc ei subseruientes facultates duæ sunt, immutatrix, & conformatrix.

XII.

Illa dicitur vis, quæ semen & sanguinem maternum non solum in primis & elementaribus qualitatibus; verum in secundis etiam tactorijs, gustatorijs, olfactorijs, & visorijs mutat & alterat, vt ex ea os, neruus, cartilago, & reliquarum particularum quælibet fiat.

XIII.

Formatrix definitur vis in semine à membris principibus deriuata, & à proprietate corporis vteri excitata quæ efficit figuram, situm, compositionem, constitutionemque in toto & qualibet parte decentem.

XIV.

Atera facultas ministrata est auatrix, quæ corpus quocumque versum, propria forma & continuitate seruata, extendit, vt simul in triplici dimensione augeatur, donec ad præfinitum

finitum perueniens terminum perfectas exercere queat
operationes. XV.

Tertia nutrix est quæ assumptum alimentum in corporis substantiam conuertit, ei que assimilatur, ut refarciatur id quod exhaustum est.

XVI.

Ministrantium prima est attractrix Græcis ἐλκτική dicta, quæ conuenientem particulæ succum per fibras rectas appetit & attrahit.

XVII.

Retentrix facultas Græcis καθελτική vocata est, quæ succum attractum eò usque retinet ope fibrarum obliquarum, donec in naturam partis nutriendæ mutetur.

XVIII.

Concoctrix facultas Græcè ἀλλοιωτική est, quæ id, quod attractum, & aliquandiu retentum est, alterat, immutat, concoquit, & parti, quæ alitur, apponit, agglutinat, ei que assimilatur.

XIX.

Expultrix facultas Græcis ἐκκετική appellata est, quæ à concoctione inutilia & aliena auxilio fibrarum transversarum segregat; & excrementa singula ex corporis particulis pellit: ne, si moram diutius trahant in corpore, putrescant.

XX.

Altera facultatum species est vitalis, quæ ex corde per arterias in vniuersum corpus vitalem spiritum vnâ cum calore transfundit: reliquasque facultates conseruat.

XXI.

Hæc rursus duplex est. Vna enim spirituum vitalium generandorum causa existit, altera mirandorum affectuum.

XXII.

Tertia species facultatum est animalis, quæ tum sensum motumque; singulis partibus corporis debitis impertit, tum intel-

intellectus ratione, exterius oblata apprehendit & dijudicat: estq; triplex, sentiens, mouens & princeps.

XXIII.

Sentiens subdiuiditur in externam & internam facultatem.

XXIV.

Externa quintuplex est, nempe facultas videndi, audiendi, odorandi, olfaciendi, & tangendi.

XXV.

Videndi facultas est vis insita oculo seu potius humori crySTALLINO delata à cerebro per neruos *ὀπτικὸς*, quâ colores per medium *διαφανὲς* seu perspicuum excipiuntur.

XXVI.

Audiendi facultas est vis transfusa à cerebro per quinti paris cerebri neruos: quæ tanquam instrumento vtitur aëre nobis ingenito, & membrana hunc continente in intima auris capacitate, quâ sonus percipitur.

XXVII.

Odorandi facultas est, quâ à cerebro per processus albicantes neruis non absimiles, qui extra caluariam ad ossa cribri modo perforata, naresque producuntur, odores cum aëre inspirato excipiuntur.

XXVIII.

Gustandi facultas est vis, quâ linguâ & palato, in quibus à tertio pari neruorum propagines sparsæ sunt, adminiculo carnis & mediante humido, cum sicco permixto saporres percipimus, & familiaria ab his, quæ naturæ aduersantur, discernimus.

XXIX.

Tangendi facultas per totum corpus sparsa atq; diffusa neruorum ope primùm quidem simplices qualitates, calidum, frigidum, humidum, siccum: deinde & secundas, vt mollitiem, duritiem, asperitatem, læuitatem, grauitatem,
tenui-

tenuitatem, lentitiam, friabilitatem, densitatem & raritatem percipit.

XXX.

Interna facultas animalis quæ à Galeno princeps etiam dicitur addito intellectu tripliciter diuiditur in imaginatricem, ratiocinatricem, & memoratricem.

XXXI.

Imaginatrix facultas est quæ imagines atque species rerum à sensibus oblatas apprehendit: & singulorum sensuum obiecta diiudicat: sub qua Galenus sensum quoque communem complexus est.

XXXII.

Διαφανὴς, quam ratiocinatricem vel cogitatricem Latini vocant, est ea quæ conceptas iam imagines à ministris & nuncijs sensibus extrinsecus allatas & ante se positas sub iudicium reuocat de ijs cogitat atq; meditat: comminiscitur aliquid, componit, diuidit, adeoque ratiocinatur vt aliud ex alio eliciat & ordine quodam collocet.

XXXIII.

Verùm quia rerum simulachra leuiter cerebro impressa mox euanescent, ideo, vt diutius retineantur, sese offert memoratrix facultas, quæ, quod à prioribus est receptum & elaboratum ceu fidissima tutrix primum recondit: deinde recondita rebus etiam absentibus per asseruatæ imaginis repræsentationem cum præteriti temporis recordatione, rursus ita promit, vt præsens cognitio præteritæ respondeat tanquam eius imago.

XXXIV.

Media facultatis animalis differentia est motrix, quæ auxilio spirituum per neruos diffusorum in priore cerebri parte elaborator. hincq; per eosdem ad posteriorem spinæ medullam delapsor. munera sua exequitur motumq; per musculos præbet voluntarium. Quia

XXXV.

Quia verò animalia non incitantur motis vel ad prosecutionem rei idoneæ vel ad fugam inutilis & noxiæ, nisi ab appetitu ferantur ad obiecta, vis quædam alia apparet quæ appetitiua dicitur.

XXXVI.

Hæc nihil aliud est, quàm cum cognoscendi facultas rem, quæ sibi salutaris videtur futura, eam interiore quædam animi agitatione appetit.

XXXVII.

His omnibus longè diuiniore ad huc facultas in homine existit (quam Latini mentem seu animam rationalem, Græci *νῆς* vocant) omnium diuinarum actionum causa, quæ non nisi ex accidente Medico venit consideranda.

XXXVIII.

Particulares facultates ex particularibus quarumlibet partium actionibus cuius facile innotescunt.

F I N I S.



ULB Halle
003 338 150


3




TA-OL

VD 77








1596.16

16



ΣΥΝ ΘΕΩ
DISPUTATIONVM PHYSIO-
LOGICARVM SEPTIMA.

DE ANIMA EIVS-
QVE FACVLTATIBVS.

Quam
D. D. E. A. I.

Præfide
CLARISSIMO ET DOCTIS-
SIMO VIRO, DN. CORNELIO
BOKELIO, Philosophiæ &
Medicinæ Doctore:

scribitur
IOHANNES PAPIVS Hamburgens.
*In illustri Iulia 12. Calend. Ianuarij hora &
loco consuetis.*

HELMÆSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Ann. 96.